



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. VIII. De Officio S. Mariæ in Sabbato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

ut, sicut in ipso Festo hæc Suffragia & Preces excluduntur
ita nec in diebus infra Octavam admittantur.

TITULUS VIII.

DE OFFICIO S. MARIE IN SABBATO.

I. **I**N omnibus Sabbatis per annum extra Adventum, Quadragesimam, &, nisi Quatuor Tempora aut Vigilæ occurrant, vel nisi fieri debeat Feria propter Officium alicujus Dominicæ aliquando infra hebdomadem ponendum, ut in Rubrica de Dominicis dictum est; & nisi fiat Officium novem Lectionum, vel de Pascha & Pentecostes, semper fit Officium de S. MARIA eo modo, quo fit in Festo Simplici, *d.* quemadmodum circa finem Breviarj disponitur. De Festo autem Simplici in Sabbato occurrente fit tantum commemoratio.

D. A Capitulo scilicet Vesperarum præcedentis diei cum tribus Lectionibus, ut n. 3. clarius dicitur.

II. Cùm verò supradictis diebus fieri non potest Officium de S. MARIA, nulla etiam fit commemoratio de ea propter Sabbatum, sed tantum in Simplicibus (quando ejus Officium parvum non dicitur *e.*) fit consueta ejus commemoratio per annum cum aliis Suffragiis positis in Psalterio per Vesperas Sabbati.

E. Nam in eo casu non fit commemoratio de illa Suffragia, cùm mox integra Hora de illa dicenda fit; deceat autem de eodem simul commemorationem & Officium fieri, nisi B. V. sit Titularis Ecclesiæ.

III. Ejus Officium in Sabbato incipit Feriâ secundâ ad Modum Festi Simplicis à Capitulo, & terminatur ad Nonam Sabbati. Si autem Feriâ sextâ occurrat Officium novem Lectionum, in Vesperis fit

tum commemoratio de S. MARIA cum Antiphona, Versu & Oratione, quæ habentur in Officio ejus in Sabbato, nisi illud Officium novem Lectionum sit de eadem B. MARIA, quia tunc nulla alia commemoratio de ea facienda est. *f.*

F. Ne bis explicitè ejusdem in eadem Hora fiat mentio in Orationibus, & ne de eadem fiat commemoratio simul & Officium.

IV. Ad Matutinum post Invitatorium & Hymnū de S. MARIA, dicitur unum Nocturnum cum duodecim Psalmis Ferialibus, ut in Psalterio *g.* Versus de S. MARIA, prima & secunda Lectio ex Scriptura de Tempore occurrenti; tertia Lectio, & alia omnia tam in Matutino, quàm in Laudibus & Horis, ut in Officio S. MARIE in Sabbato assignatur.

G. Ex quo tamen Psalmi pro Laudibus non sumuntur, sed ex Dominica, vel Officio parvo B. Virginis.

V. Dicuntur Preces Dominicales *h.* ad Primam & Completorium, & fiunt Suffragia consueta de Apostolis & Pace; & Tempore Paschali sola commemoratio de Cruce, ut in secunda Feria post Octavam Paschæ. Post Nonam nihil fit de ea, nisi consueta ejus commemoratio cum aliis Suffragijs, quando dicenda sunt in Officio de Dominica.

H. Sic dicuntur ad distinctionem à Ferialibus Precibus, quæ in nulla unquam Dominica dicuntur.

TITULUS IX.

DE COMMEMORATIONIBVS.

I. **C**ommemorationes *i* fiunt de Festis Simpli-
cibus, quando in eorum diebus incidit Fe-
stum novem Lectionum, etiam translatum, vel Do-
minica, vel Octava, vel Sabbatum, & quando fieri

H 3

debet